

tantaque dilectio invicem fuit, ut ex convictu³⁴ gemini vocarentur. Gabriel dum cardinalis fuit, duplici legacione functus est in Piceno atque Bononia. Ex hac tamen ultima, cum propter familiaritatem Florentinorum et originem Venetam³⁵ duci Mediolani suspectus esset, preter opinionem amotus est Romamque rediit, [fol. 107r/109r] ubi Martino mortuo summi pontificatus cathedram est adeptus, credo domino disponente, qui dicentibus discipulis „*Ecce reliquimus omnia et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?*“ „Centum pro uno“, inquit, „*accipietis et vitam eternam possidebitis.*“ (Matth. 19,27; 19,29) Inicia huius apostolatus turbulenta fuere; nam gravi percussus infirmitate cutem in anguis modo renovavit ac cum principe Salerni, qui Martini nepos fuit et plurima ecclesie castra tenebat, ac cum prefecto Vici ac aliis pluribus tyrannis coactus est bellum gerere. Tum quoque Basiliense concilium cepit, quod ipse in eius fere inicio dissolvit et Bononiam transferre conatus est. Sed cum patres concilii non assentirent, plurimas perpessus est adversitates. Nam et ipse a concilio diversimode infestabatur et ipse econtra³⁶ non minus concilium infestabat. Sigismundus interea Senas venerat ac Romam petere suscepturus imperiales infulas disposuerat. Quem Eugenius post magnam discordiam sibi conciliatum in basilica sancti Petri coronavit. Promisit tamen Eugenius Sigismundo Basiliense concilium confirmare ac Eugenio rursus Sigismundus fidem prebuit, adversus eum ne quid attemptari per concilium permetteret. Sicque Sigismundus Basileam reversus tandem operatus est, ut et processus concilii contra Eugenium cessarent. Mox alia est oppressus molestia. Conspirantibus namque Romanis et libertatem sibi vendicantibus, captus est et in carcere detentus. In quo dum negligencius custoditur, per Tyberin aufugit Florenciamque perrexit, ubi honorifice receptus est ac deinde Bononiam venit. Nec hic finis laborum est; nam cum ad Grecorum reduccionem Basilienses essent intenti nec de loco cum Grecis concordarent, quoniam ipsi vel in Sabaudiam³⁷ vel in Avinionem trahere illos volebant, Greci vero solum infra Italiam venire vellent essentque patres in concilio divisi et alii Avinionem atque Sabaudiam pro concilio nominassent, alii vero Florenciam vel alium in Italia locum, qui Grecis placeret, Eugenius cum his concordans concilium apud Ferrariam indixit tantumque apud Grecos egit, ut eos ad se Ferrarie manentem venire fecerit, quos exinde postmodum Florenciam secum conduxit et ibi ad unionem ecclesie Latine reduxit. Etc.

34) convictu *Hs.*

35) Venetarum (?) *Hs.*

36) et contra *Hs.*

37) Subaudiam *Hs.*